Quelle: http://manuscripta.at/?ID=506
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et ipsum filium secundum aliquid lumen esse. in quo non potest pater equalis esse.
Pater quippe tantum deus est et solum deus. Filius autem deus est. nec solum. sed homo et deus.
Et est lumen tantum in eo quod est deus. et idem lumen quod est pater deus. In eo vero quod est
homo lumen est. quoniam et ipsa humanitas lumen fuit in eo quod veritatem
demonstravit. et principale lumen patrem revelavit. Sed lumen huma-
nitatis tantum minus fuit lumine deitatis. Et in lumine quidem humani-
tatis tantum inferior fuit patre. in lumine vero deitatis idem cum patre. Et
venimus per ipsum ad ipsum. per lumen humanitatis in quo solus erat filius.
ad lumen divinitatis in quo erat pater et filius. Idcirco accessum habui-
mus per filium ad patrem. nec solum ad patrem sed et ad filium et patrem. Video et
alium accessum primum ad principale lumen patrem. Hec sapientia patris est. et ipsa
sapientia patrem revelavit. et exivit sapientia patris. patre permanente in ab-
scondito. Et mansit pater invisibilis. et sapientia eius visibilis facta est.
ut ad invisibilem patrem perduceret. Et cum facta esset visibilis. non desiit esse in-
visibilis. quia venit ubi non erat. et ubi erat. inde non recessit. Et exivit
primum per creaturam mundi. et manifestavit se in operibus suis. et cepit visi-
biliter videri invisibilis. in eo quod erat visibile. et monstratum est quoddam
lumen. ut duceret ad maius lumen. Et erat primum lumen sapientie. et secundum lumen
sapientia. Et factus est nobis tunc via ad patrem. ex inferiori lumine ad lumen
principale. Deinde venit secunda sapientia. et exivit ut dictum est per carnem. et fac-
ta est lumen in testa. ut illuminaret nos et assuefaceret ad maius lumen.
et perduceret ad principale lumen. Sed et ita accessum habuimus primum
ad principale lumen patrem. Ergo Iesum invocantes paternum lumen. quod est
quidem verum. quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. per
quem ad principale lumen patrem accessum habuimus. Huc usque pendet
Structura verborum — sententia. donec sequentibus compleatur. Et est sensus. Nos invocantes Iesum
respicientes quantum possibile est nobis. in illuminationes sacratissimorum
eloquiorum. hoc est in sacratissima eloquia que illuminant nos doctrina
veritatis. et intelligentia secretorum a patre traditas. Tradite sunt enim
a patre illuminationes divinorum eloquiorum ut nos ex ipsis illuminemur.
quousque capaces efficiamur contemplationis luminis principalis. Et ip-
sis illuminantibus nunc agnoscimus secreta celestia. que nec dum sensu